

OK. 533, 19.

B. 1
H d
253

AD
MEMORIAM NATALEM
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
IOANNIS FRIDERICI
PRINCIPIS SCHWARZBURGI

E QUATVOR SACR. ROM. IMPER. COMITIBVS COMITIS
HOHNSTEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDRERSHVSAE
LEVTEBERGAE LOHRAE AC CLETTEN-
BERGAE RELIQA

PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI

ORATIONIBVS PVBLICIS
IN LYCEO PROVINCIALI FRANCOHVSANO

MORE CONSVETO CONCELEBRANDAM
PERILLVSTREM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
MAECENATEM NOSTRVM

VIROS
ILLVSTRES MAGNIFICVM MAXIME REVERENDOS AMPLISSI-
MOS RELIQVOS MVNERVM DIGNITATE DOCTRINAEQVE
PRAESTANTIA SPECTATOS

PIE ET OFFICIOSE INVITAT
M. IO. FRIDERICVS ECKHARD. R.
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IENENS. ADIVNCTVS
SOCIET. LAT. COLLEG. HONORAR.

DE
PERSVASIONE ORATORIA
PAVCA PRAELOQVTVS.

FRANCOHVSAE
LITTERIS KEILIANIS.



§. I.



ne, quod in dicendo sequi oratorem oportet, quodque propositum illi est, ut arte sua consequatur, princeps oratorum CICERO, breuibus verbis complectitur, ut *adcommodate dicat ad persuadendum.* * Pauca fateor, sunt verba, quibus totum oratoris officium includit, quo autem grauius illud, difficiliusque habitum semper est, eo plura subiecta illis, & implicata quasi esse, vnusquisque facile suspicabitur. Sane, si ex vero ira iudicauit TVLLIVS, quem autem errore esse lapsum, si in alia re quauis, in hac certe credibile non est, si adcommodate, rei que ipsi conuenienter, haec ab illo dicta sunt; dubium non est, quin partes oratoris omnes, deduci ex illis, opera adhibita, ac deriuari queant. Rem itaque eruditis, haud ingratam, iuuenibusque, in his talibus proficere cupientibus, haud inutilem me suscepturum existimo, si ex dicentis, eorumque, qui audiunt conditione, verbis istis comprehensa, philosophiae praeceptis in subsidium aduocatis, excuterem breuiter, atque explicarem.

* *Lib. I. de Oratore.* Videntur quidem ipsi veteres, de fine dicentis non satis consensusse. PLATONI, quem CICERO sequitur, finis oratoris est *persuadere*, ARISTOTELI videtur, *iusta persuadere*. QVINCTILIANO placet, *bene dicere*, quoniam hic finis, viribus artis contineretur, ille vero in euentu positus esset incerto, & ancipiti. Subtilem vero magis, quam utilem hanc disceptationem esse, vnusquisque facile intelligit. Qui plura desiderat, adeat RVDOLPHVM GOELENIVM in *Problematis Rhetoricis*, *Problem. I.*

§. II.

§. II.

Vt autem dicendorum ratio constet, res ipsa praecipere, atque iniungere viderur, primum exponendum esse, quid sit *persuadere*, deinde ea exquirenda, quae *ad persuadendum adcommodata*. Atque, vt ab illo exordiamur, in eo laborandum illi esse, qui *persuadere* cupit, vt *adsensum alii praebent*, vix quisquam vocauerit in dubium. *Adsensus* autem omnis, quum ex veri cognitione exoritur, pauca prius, de ipsa mentis nostrae natura, rerumque, quas cognoscit diuersitate, praemonenda erunt, quam ad reliqua pertexenda progrediamur.

§. III.

Si res ipsas, quae mentis cognitioni subiectae sunt spectamus, sunt aliae, quae sensus feriunt, & oculis cerni, ac manibus tangi, vel cerni tantum animo, atque intelligi possunt. Priores dicunt *sensibiles*, posteriores *insensibiles*. Fieri vero etiam potest, quae mentis nostrae est praestantia, vt illud, quod per se *sensibile* est, tamquam *insensibile* cognoscamus, & contra ea, quod per se *insensibile* est, tamquam *sensibile* nobis repraesentemus, quod, quia inter omnes constat, probationis hoc loco non indiget. Profluit hinc, cognoscendi mentis facultatis bipartita diuisio, ea nimirum, quae obiecta, tamquam *insensibilia* percipit, dicitur *superior*, quum ea *inferior* adpelletur, quae tamquam *sensibilia* illa cognoscit.

§. IV.

Quemadmodum vero *facultatis* ita *superioris* est, obiecta, vt *insensibilia* cognoscere, hoc est ideas, mente & cogitatione, a singularibus rebus abstractas formare, ita & discernendi vi, *inferiorem* multum antecellit. Haec, si informata

formata idea, luce ea collustrata fit, quae eam ab aliis fernerat, animumque, a confundendae eius, cum alia periculo, securum praestet, ulterius non progreditur, licet signa, quibus res internoscatur, sigillatim haud ostendat. Illa autem, ad partes idearum discernendas incumbit, & partium etiam partes internoscere studet, hoc est, *distinctas*, ut vocant, & *adaequatas* ideas effingit, quum altera, *claras* quidem, sed non nisi *confusas* formet.

V.

Si ad originem idearum distinctarum respicimus, adcurata rerum consideratione, hoc est *attentione*, & *reflectione* ad formandas illas opus magnopere est. Hinc quoque, si communicare cum aliis, illas velimus, vix informari poterunt illorum animis, quam si iisdem adminiculis, quantum requiritur utantur. Eo maiori itaque attentione, & reflectione erit opus, si plures ideae distinctae, certa ratione inter se inuicem iunctae, mente animoque comprehendendae sint. Minorem contra attentionem, ad confusas ideas, animo informandas requiri, non minus ex origine earum, haud difficulter potest intelligi.

§. VI.

Ad sensus omnis, ut constat, ex veri cognitione oritur, atque ita, sicut dubium non est, quin ad cognoscendi facultatem hic pertineat; sic & rationibus illum inniti, quae rem consentaneam esse demonstrant, vix moneri opus est. Rationes autem, quae redduntur, vel sunt eiusmodi, ut una, ob vinculum, quod iis intercedit, alteram magis confirmet, donec ad eiusmodi summa perueniatur, in quae nulla amplius adprobatio cadit, vel quaelibet earum, per se eam vim habet, ut quid verum, falsumue sit, cerni quodammodo queat. * Illis, si utimur, ad ratiocinii

nor-

normam colligatis, nihil quidquam remanet, quod ad perfectam, absolutamque veritatem requireretur, quum hic contra, numero potius rationum illud efficere laboremus, quod per se quaelibet efficere non poterat.

* Philosophi has *coordinatas*, illas vero *subordinatas* adpellant.

§. VII.

Ex his vero, vt opinor, patet, duplicem ita nos viam inire posse, qua ad adsensum alios ducamus. Priorem vero, distinctas, & adaequatas ideas requirere, eo facilius quisque concedet, quo adcuratius explorata illa habet, quae de demonstratione a Dialecticis, huiusque conditione praecipiantur. Efficitur itaque, priorem, ad adsensum alios ducendi rationem, ad facultatem cognoscendi superiorem pertinere, quae distinctas ideas requirit (§. IV.). Posterio-rem autem viam, si insistimus, vltra confusas ideas haud progredimur, quod ipsum vero fati declarat, hanc ad facultatem cognoscendi inferiorem esse referendam (§. cit.).

§. VIII.

Firmitatem adsensionis, a rationibus pendere, quibus innititur, citra controuersiae suspensionem admitti poterat. lam vero, quum facultas cognoscendi superior, omnes rationes ostendat, quae ad perfectam, absolutamque veritatem requiruntur (§. VI. VII.), multo firmiorem esse, quam haec efficit adsensionem, illa, quam facultas inferior gignit, ex eo non difficulter potest intelligi, quod rationes, quibus vtitur haec, non omnia comprehendant, quae ad absolutam veritatem sunt necessaria. Consequens itaque est, adsensum, qui ex facultate cognoscitiua superiori oritur, illo, qui ex inferiori existit, longe esse firmiorem, perfectioremque,



§. IX.

Iam, quum indicatum sit, quotuplici ratione ad adsensum ducere alios possimus, quaeque melior, perfectiorque sit reputanda; quam orator sequi dicendo debeat, videndum quoque erit. Non autem diu quaerendum hic esse, opinari aliquis possit, quoniam absolutiora, minus perfectis esse praeferenda, de suo quisque sensu facile possit iudicare. Verum, qui non ignorat, illud, quod per se, citra controuersiam, perfectionis loco numerandum, imperfectum saepius esse, si aliis rebus adhibeatur; is quoque non ita temere, sententiam hic ferendam esse iudicabit. Illud potius, quod oratoris sit, eos, *qui audiunt*, ad adsensum ducere, in primis hoc loco respiciendum erit.

X.

Quodsi enim audientium conditionem, mente animoque perpendimus, in eam vix cadere, vt facultatis cognoscitiuae superioris auxilio, adsensum elici queat, planum facillime, atque perspicuum fiet. Vim enim rationum earum, virtutemque sentire, quae pluribus, conclusae rationciniis sunt, certe illius non est, qui semel tantum audiendo illas cognouit. Maiori profecto attentione, & reflectione erit opus, vt ipsa intelligentia, quod requiritur, & ratio eas complectatur, quam iis adhibere rebus, & solemus, & possumus, quae aures quasi nostras praeterlabuntur. Tantum itaque abest, vt ad firmam, & constantem adensionem, hac ratione aliquis ducatur, vt potius quilibet, nisi ea, quae sunt eiusmodi, iusta quadam mora, tum, separatim, tum coniunctim expendere, certoque iudicio ponderare possit, quod apud Comicum ille, exclamare debeat: *incertior sum multo, quam dudum.*

§. XI.

§. XI.

Intelligitur itaque, hanc ad sensum eliciendi rationem, vi sua, virtuteque omni destitui, si iis, qui ad audiendum confluerunt adhibeatur. * Quod si itaque ea, quae facultate cognoscendi inferiori fit, magis esset idonea, ad finem, qui propositus oratori est, obtinendum; dubium esse potest nullum, quin hanc, illi praeferre orator debeat. Cessat autem hic ratio, cur ad sensus, licet infirmior, haud sequeretur, siquidem minorem hanc attentionem requirere superius (§§. V & VII.) indicatum iam est. Atque ita manifestum quoque fit, oratorem, facultate cognoscitiua inferiori vti potissimum debere, vt ad ad sensum auditores ducat.

* Saepius quoque, ad homines imperitos, ac percipiendis argumentationibus non aduetos, oratori dicendum est. Quae vero, quum vim suam exferere haud possint, nisi quis argumentationis, siue demonstrationis perfectae notionem, animo informatam habuerit, ipsoque vsu, & exercitatione, aliquoties virtutem earum senserit; nova ratione patet, cur ab his, oratori fit abstinendum.

§. XII.

Facultate cognoscendi superiori ad ad sensum aliquem ducere, nihil est aliud, quam *conuincere*, & contra ea, facultate cognoscendi inferiori ad sensum elicere, est *persuadere*, seu fidem facere. Quemadmodum vero oratoris esse, vt persuadeat, perspicuum hac ratione est, ita & simul patet, in quantum munus ipsius, ab eo, quod Dialectico impositum distet, cui, vt *conuincat* alios incumbit. Vtrorumque nimirum est, ad sensum elicere, hic autem facultate cognoscendi superiori, ille vero ea, quae inferior huic est, tamquam instrumento vtitur. * Sed quoniam neutra harum facultatum, iis se

se coerceri, cohiberique finibus patitur, vt non alteri, ex altera admixtum quidquam sit; ita & non aliter haec esse intelligenda, quam cum vna harum, praecipue rem vtrisque esse, sua sponte liquet. **

* Patet ex his, si de *insensibilibus* oratori dicendum sit, operam illi esse dandam, vt ea tamquam *sensibilia*, quoad eius fieri potest, audientibus ad cognoscendum proponat.

** Pertinent huc ea, quae philosophi de *intellectu impuro* praecipiant, qua de re, vide plurib. perillust. de WOLFF in *Psychologia empirica* §. 314. 315.

§. XIII.

Dum persuadet orator, non omnia adfert, quae ad perfectam, absolutamque veritatem requiruntur (§. praec. & §. VIII.). Ea autem cognitio, cui desunt nonnulla, quae ad perfectam veritatem necessaria, quum *probabilis* adpellari soleat; consequens quoque est, vt in eo tantum laboret orator, vt res, de qua dicit, audientibus fiat probabilis. Neque tamen infitiandum, fieri nonnumquam posse, vt id, quod dicendo explanat orator, adeo euident, atque certum euadat, vt nihil requiri amplius possit. Sed quoniam rarius illud contingere solet, atque orator, si probabilem rem fecerit, absolute munus suum confecisse existimandus, illud quoque, quod plerumque contingere solet, nominandum potius erit. Praeter ea, quum non repugnet, vt res, per se certa, probabili tantum ratione cognoscatur; semet ipsum falleret is, qui colligere exinde vellet, res, per se veras, atque certas, proscribendas esse ex numero earum, de quibus dicere orator possit.

§. XIII.

Indicatum haecenus est, qua ratione orator, facultatis cognoscitiuae auxilio, ad sensum elicere possit, atque debeat.

Sed

Sed tamen, quum quidquid ad persuadendum, seu adfensionem probabilem eliciendam adcommodatum, exquirendum oratori sit: videndum quoque, num in altera mentis, adpetendi nimirum facultate quidquam insit, quod fini oratoris inseruiat. Quamquam enim origo adfensus, in cognoscendi facultate quaerenda, adpetendi facultatem tamen, hunc vel impedire, vel adiuuare etiam posse, vix quisquam infitiri poterit.

§. XV.

Magna omnino in iudicium mentis, adfectuum vis est, multumque refert, quale illud sit, si vel commoto, vel animo, a motibus libero iudicemus. Facile illud ex ipsa adfectuum natura potest intelligi, quibus confusae repraesentationes insunt, quae ipsae autem imagines, multum diuersas ab iis exhibent, quae nobis, si res, vel clare, vel distincte cognoscimus offeruntur. Sed sua quoque experientia, satis conuincere vnumquemque potest, *plura homines multo iudicare, odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolere, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate & praescripto.* * Quidni igitur his opportune vteretur orator, vt vel sedaret animi motus illos, quos adfensionem obesse cernit, vel eos, qui adiuuare illam possunt, excitaret, quum ita vim quasi animis inferre, efficereque possit, vt imperu quodam magis, quam ratione, & consilio regantur, atque nolentes ita suae accedant sententiae.

* Verba haec, sunt CICERONIS *de Orator. Lib. II.* pluribus haec de re conferri potest ARISTOTELES *in Rhetoric. Lib. I. Cap. II. n. 11. & Lib. II. Cap. I. n. 6.* Iudicii, amore immutati lepidum exemplum exstat apud HORATIVUM *Sermon. Lib. I. Satir. III.*

Strabonem

*Adpellat pactum pater, & pullum, male paruus
Si cui filius est.*

)(

§. XVI.

§. XVI.

Porro, si ipsum dicentem spectemus, & hic nonnulla obseruamus, ad adpetendi facultatem pertinentia, quae ad adfensum, eo facilius eliciendum, permulrum valent. Expertus nimirum, scire quilibet potest, ut quisque dignior fide est, ita facillime nos fidem illi habere. Quodsi vero in causas inquirimus, cur fide dignum aliquem iudicemus; nihil nos magis mouere poterit, quam si rerum intelligentem, fraudis omnis expertem, aliorumque vtilitati inferuire cupientem, hoc est prudentem, probum, atque beneuolum illum cognoscimus, quandoquidem nihil ita superest, cur fidem illi denegemus. Haec igitur virtutum, bonorumque morum signa, si ipse orator proferat, quum adeo ad id, quod vtilitas ipsius fert, adcommodatum sit; in primis in eo laborandum illi esse efficitur, ut talem se esse, oratione demonstraret, audientesque hoc modo sibi conciliet.

§. XVII.

Quicquid ad adfensum eliciendum adcommodatum, *argumentum*, voce generalius sumta adpellatur. Iam vero, quum praeter rationes, quae, ut verum cerni possit, directo efficiunt, commotio quoque, & conciliatio auditorum, multum ad persuasionem faciat (§. XV. & XVI.); triplicis potissimum generis argumenta esse, quibus uti orator possit manifestum est. Atque his iam explicatis, paulloque altius repetitis, quamobrem tria, veteres argumentorum fecerint genera, intelligi, ut opinor poterit. Rationes ex re ipsa, quae sedes constituendae fidei est, deductas, *λόγως* adpellare solent. Ea, quae a dicentis persona desumta, auditorum conciliationi inferuiunt *ἤθη*, ea denique, quae ad animorum permutationem comparata, *παθή* cognominare solent.

§. XVIII.

§. XVIII.

Supereſt *phantafia*, tamquam altera facultatis cognoscendi inferioris pars, videndumque num ab ea quoque vtilitatis quidquam promittere ſibi poſſit orator. Efficit vero haec, ſi indolem ipſius reſpicimus, ut priſtinarum idearum, praecipue ſimilium, ac diſſimilium inſtauratio quaſi fiat, atque reſuſcitatio, quarum vero ad reſ, de quibus agitur, eo clarius cognoscendas, maxima viſ eſt, vt ipſa quemque experientia docere ſatis poterit. His autem poſitis, ſimul patet, maximo omnino uſui hanc oratori eſſe poſſe, quum dubitari vix queat, eo facilius adſenſum elici poſſe, quo clarius rationes illae, quas *λόγος* adpellant, ad cognoscendum audientibus proponuntur. Quartum hinc argumentorum genus, *illuſtrantia* vocant, recentiores addunt, quae veteres, argumentorum exornatione, & amplificatione intellexerunt.

Sed his forſan nimis copioſe diſputatis, ad id properandum magis, quam veniendum erit, cuius cauſſa ea ſumus praefati. Illuſcente ruruſus, felicibus auſpiciis, die natali exoptatiſſimo *SER. PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI IOANNIS FRIDERICI PRINCIPIS SCHWARZBURGENSIS E QUATVOR S. R. I. COMITIBVS COMITIS HOHNSTEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDERSHVSAE LEVTENBERGAE LOHRAE AC CLETTENBERGAE RELIQ. PRINCIPIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI*, nemo tam ſine ſenſu eſt, quin interioribus quibusdam, mentis quaſi igniculis, ad laetandum, gratulandumque incitari ſe ſentiat. Eo minus Muſae noſtrae committendum putarunt, vt in honeſtiſſimo hoc pietatis certamine, ſua pietate, qua nemini concedunt, deeſſe videantur. Interpretes illius erunt, quatuor, erectioris ingenii, indolisque praeclarae iuuenes.

CHRI-

QX 71 d 253

(x 262 5071)

CHRISTOPH WILHELMVS MÜLDNER, Francohusanus, *de eloquentia in tacendo* disputabit.

IOANNES HENRICUS STOLLBERG, Bilsingslebiensis, *Litterarum optime florere, si principes iis faueant* ostendet.

ERNESTVS AVGVSTVS VOGT, Oldislebiensis, *de felicitate studiosorum litterarum verba* faciet.

HENRICVS ADOLPHVS HARTLEB, Vderslebiensis, *cunctationem, eloquentiae studioso admodum utilem esse, teutonica oratione euincet, & gratiarum actione* finiet.

Ipsam officium, quo nostri fungentur, subiectissimum, quando pro salute *PATRIS PATRIAE* Deo immortalis supplicabunt, audientiam, credo, facere iis poterit, atque ita & in spem maximam, vtque confido, verissimam adducor, *PERILLVSTREM*, atque *EXCELLENTISSIMVM MAECENATEM NOSTRVM*, ornandis, fouendisque litteris, benigno fidere nobis concessum, tum Viros Illustres, Magnificum, Maxime reuerendos, Amplissimos, reliquosque honorum, vel litterarum nomine suspiciendos, hoc precibus nostris submissis, atque honestis, esse daturus, vt solemnibus hisce, honorificentissimam, ac honorificam praesentiam suam accommodent, fauoreque suo, & humanitate, animum dicturis spiritumque addant. P. P. die iv. Februar. ann. repar. salut. clo lo cc LII.





QR. 533, 19.

B. 2
II d
253

AD
MEMORIAM NATALEM
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
IOANNIS FRIDERICI
PRINCIPIS SCHWARZBURGI

E QUATVOR SACR. ROM. IMPER. COMITIBVS COMITIS
HOHNSTEINI DYNASTAE ARNSTEDI SONDRERSHVAE
LEVTENBERGAE LOHRAE AC CLETTEN-
BERGAE RELIQA

PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI

ORATIONIBVS PVBLICIS
IN LYCEO PROVINCIALI FRANCOHVSANO
MORE CONSVETO CONCELEBRANDAM

PERILLVSTREM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
MAECENATEM NOSTRVM

VIROS

ILLVSTRES MAGNIFICVM MAXIME REVERENDOS AMPLISSI-
MOS RELIQVOS MVNERVM DIGNITATE DOCTRINAEQVE
PRAESTANTIA SPECTATOS

PIE ET OFFICIOSE INVITAT

M. IO. FRIDERICVS ECKHARD. R.

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IENENS. ADIVNCTVS ET
SOCIET. LAT. COLLEG. HONORAR.

DE
PERSVASIONE ORATORIA
PAVCA PRAELOQVVTVS.

FRANCOHVSAE
LITTERIS KEILIANIS.

